



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Dubium I. Quis sit Minister.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

solutione, per quam indirectè saltem tollantur peccata reservata, & acquiratur jus ad postea directè tollendas centuras & ista reservata.

§. 4. Qui confessus est animo perficiendi opera, sed non perfecit, potest post Jubilæum absolvi à reservatis, ut dictum est n. 1449. sed non potest obtinere commutationem votorum, secundum dicta n. 1463. 1476

CAPUT II.

De Ministro Sacramenti Pœnitentia.

DUBIUM I.

Quis sit Minister.

Resp. Est Sacerdos approbatus ab Episcopo, (saltem respectu sæcularium) & habens jurisdictionem: Est certum: Ratio primæ partis sumitur ex Joannis 1. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Ratio secundæ sumitur ex Trid. sess. 23. c. 15. de Res. Ubi decernit, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi habeat beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopo. Addidi, respectu sæcularium: quia circa confessiones Regularium, Concilium nihil videtur mutasse: unde ii cuiusvis, etiam non approbato, quem Prælati præfecerit, possunt confiteri, intellige, quantum est ex vi Concilii, quia Gregorius XV. statuit, ut Monialium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiæ partis ex Flor. & Trid. l. c. quia absolutio est actus judicialis, qui requirit subditos. Unde resolves, 1477

I. Nullo casu vel dispensatione hoc Sacramentum

Ggg 4

mentum

mentum validè administratur à non Sacerdote.

II. Ubi *Trid.* est receptum, (secus alibi) nullus Sacerdos, etiam Regularis, validè absolvit, nisi sit approbatus, vel Parochus, cui non solum intra, sed etiam extra Diocesin suam, validè delegatur jurisdictio, potestque eligi in Confessarium ab omni habente potestatem eligendi, quamdiu tamen retinet Parochiam. Ita *Fill. t. 7. Fag. Suar. Dian. p. 3. t. 4. R. 146.*

A D D E N D A.

1478 **Q**uest. 212. Quid universim notandum sit circa Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. & seqq. §. 1. *Gerson p. 2. n. 32. Opulc. De arte audiendi confess. in Proœmio ait, Ars artium est regimen animarum, præsertim in Confessionibus audiendis. Confid. 1. addit, Provideat ante omnia Confessor purus esse, qui purgandis animabus invigilat: spem quoque sui laboris & perficiendi circa alios, non in propria sed divinâ virtute reponat.*

1479 §. 2. Quàm gratum Deo sit officium Confessarii, explicat *Ludov. De Ponte* In pretiosis sensis parte 6. à n. 17. his verbis: *Audire & absolvere confitentes est actus planè heroicus & mirum quantum divinæ majestati acceptus, quia imprimis hoc in ministerio magis immediate quàm in quovis alio Sacerdos plurimum confert ad reducendas & reconciliandas animas suo Creatori. Deinde quia hic modo quodam speciali cuncta misericordiæ opera, tum corporalis tum spiritualis optime exercet: his ignorantem docet, aberrantem in viam dirigit, offensas remittit, mœrentem & contritum consolatur, dubitanti salubria impertit consilia, pro periclitantis salute*

salute Deum efficaciter deprecatur. Hic dura servi-
tuti mancipatum redimit, vincitum peccatorum cate-
nis exsolvit, nudum convestit stolâ gratiæ, egenum &
languidum cibo potuque spiritali, prout cuique fert
stomachus ac necessitas, pascit ac reficit: unde per-
suasum habeo fore, ut Deus Confessario bono & fru-
gi misericordiam retribuat, Beati misericordes,
quoniam ipsi misericordiam consequentur,
Matt. 5. & 7. Certè iudicio meo porrigi vix potest e-
læmosyna, quæ isti valore & pretio æqualeat....
Habet in fructuoso hoc exercitio Confessarius, ubi se
ipsum & multas refractariæ carnis oblectationes e-
gregiè vincere possit. Denique, Confessarii tribunal
applausus non habet, quibus Concionatoris cathedra
sæpè circumsonat.

§. 3. Minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sa- 1480
cerdos completè ordinatus, hinc si quis esset or-
dinatus per traditionem patenæ cum pane & ca-
licis cum vino non autem postea per impositio-
nem manuum Episcopi, esset quidem Sacerdos,
sed incompletè, & haberet potestatem in Cor-
pus Christi verum consecrandum, sed non in
Corpus Christi mysticum sive in fideles absol-
vendo, uti cum communi *Amic. d. 15. n. 27 A-*
versa q. 16. l. 1. Si autem Episcopus imposuisset ei
manus, omisâ vel non ritè peractâ ordinatione
per traditionem patenæ & calicis, nec posset va-
lidè consecrare nec absolvere, quia nequidem
incompletè esset Sacerdos, hæc enim secunda
potestas in Corpus Christi mysticum supponit
primam in Corpus Christi verum, *Amic. Arr. d.*
39. n. 2.

§. 4. Solus Sacerdos ita est Minister Sacramen- 1481
ti Pœnitentiæ, ut non Sacerdos nunquam valide
absolvat sacramentaliter; imò secundum *Nav.*
Valent. Suar. Arr. n. 4. laicus fit irregularis, si hoc

1482 atienter; quod tamen alii negant cum Lugo d. 18.n.14. quia non invenitur expressum in Jure. §. 5. Dubitatum est aliquando, si quis in necessitate confiteatur laico, an Deus tum suppleat effectum gratiæ, nam Cap. *Quem pœnit* 88. De pœnit. dist. 1. sic habetur, *Sæpe contigit, quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert, & si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, sit tamen dignus veniâ ex Sacerdotis desiderio, qui Jocio confitetur turpitudinem criminis.* Similiter S. Th. in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiu. 2. ait: *In necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri posset.* Et ad 1. subdit, *Defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet, & confessio laico ex defectu Sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum.* Et dist. 24. q. 1. a. 2. quæstiu. 3. ad 2. loquens de non baptizato ad Ordines promotus ait: *Non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali, sed tamen pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum.* Etiam Mag. sentent. in 4. dist. 17. c. 4. dicit, si Sacerdos abfuerit, debere confiteri laico etiam mortalia: Quod etiam putârunt alii apud Aversam suprâ. Sed obligationem illam meritò rejiciunt omnes reliqui cum Rayn. in Heter. tom. 16. s. 9. à n. 1. Unde etiam audiendi non sunt Juristæ aliqui apud Sanch. De Matr. l. 3. d. 22. n. 21. qui putârunt in communi errore, quo laicus putaretur esse Sacerdos, Ecclesiam supplere jurisdictionem in laico: nam de jure divino requiritur Sacerdos, ergo in eo supplere non potest Ecclesia. At tamen quandoque utile esse confiteri laico agnoscunt

Henriq.

Henriq.
peccat
contr
dam, v
humili
niam.

§. 6.
babilis
cus ab
tis val
suum
referu
quod
etiam
le eun
tura
fert S
neri p
que et
laicu
mori
cessas
tio fie

§.
absol
à Sac
tur:
tiæ c
in qu
crede
tur o
ceru
nes &
rialit
scier

Henriq. & Moya d. 7. q. 1., ut vel laicus referat peccata Sacerdoti superventuro, vel juvet ad contritionem specialem de illis peccatis eliciendam, vel dirigat circa restitutionem, vel ut hac humiliatione impetret à Deo peccatorum veniam. Videri potest etiam *Illsung* hic à n. 168.

§. 6. Quamvis sententia communior & probabilior sit cum *Arr.* n. 5. & *Lugo* n. 7., quòd laicus absente Clerico nequidem in articulo mortis validè absolvat à censuris, quia tamen oppositum probabiliter tenent graves Auctores, quos referunt *Diana* p. 3. t. 4. R. 133. & *Moya* n. 8. eò quòd putent piam Matrem Ecclesiam, quæ id etiam laico delegare potest, pro eo articulo nolle eum, quem pœnitet, privari beneficio sepulturæ & communibus suffragiis: Hinc rectè infert *Sanch* in *Decal.* l. 2. c. 13. n. 13. laicum teneri pro tali casu absolvere à censuris. Docentque etiam plures cum *Quintanadv.* apud *Moyam*, laicum in defectu Clerici posse, adeoque debere moribundo applicare Indulgentias huic concessas pro mortis articulo, si fortè talis applicatio fieri debeat per alium.

1483

§. 7. *Tridentinum* sess. 14. De pœn. c. 6. dicit absolutionem esse ad instar actûs judicialis, quòd à Sacerdote velut Judice sententia pronuncietur: unde administratio Sacramenti Pœnitentiæ cum actu judiciali convenit & disconvenit in quibusdam, nam Judex forensis non tenetur credere reo pro se, Judex sacramentalis tenetur credere pœnitenti pro se & contra se, uti dicitur n. 1763. Forensis debet attendere actiones & facta, prout se habent à parte rei & materialiter; Sacramentalis, prout substant conscientia operantis: Forensis judicat secundum leges;

1484

leges ; sacramentalis secundum conscientiam
pœnitentis.

D U B I U M II.

Quid sit approbatio & à quo petenda.

1485

R Esp. I. Approbatio non est collatio juris-
dictionis, sed tantum publicum iudicium
de aptitudine personæ, ad audiendas confessio-
nes, essentialiter prærequisitum (supposito jure
Tridentini) ad jurisdictionem recipiendam.
Ita Sanch. l. 6. de Mat. d. 28. & alii. Unde resolves,
I. Etsi Doctores & Licentiati, hoc ipso quod
promoveantur, censeantur, secundum quos-
dam, approbati à Papa, ut notat Sa V. Confessor,
probabilius tamen est, quod ipsi etiam egeant
approbatione, licet non deceat, ut ipsi, vel Le-
ctores in Theologia examinentur.
II. Etiam Parochus, qui reliquit Benefi-
cium Parochiale, debet approbari, si velit au-
dire Confessiones.
III. Non requiri hanc approbationem ad
auditionem venialium, docet Dian. p. 2. t. 2.
misc. R. 44. ex Valero. Et ratio esse videtur, quod
approbatio tantum requiratur in ordine ad ju-
risdictionem, hanc autem quivis Sacerdos pro-
venialibus (v. i. & mortalibus, à quibus ritè
quis est absolutus) habeat collatam ab Eccle-
sia in ipsa ordinatione, ideoque ab iis absolvere
possit, ut habet Ben. d. 5. q. 7. p. 2. n. 8. Vasq.
Suar. Lugo, d. 18. s. 3. d. 21. n. 1. Ubi docet ab Ec-
clesia in Trid. non approbatum reddi incapa-
cem jurisdictionis, tantum in ordine ad mor-
talia non prius confessa.

IV.